

exercitui dato non minimum pecuniæ supererat . deinde 1509
 ad Dominicum Grimanum , & Marcum Cornelium Geor-
 gii legati filium , qui utrique in Cardinalium collegio
 Romæ tunc erant , datæ literæ , uti Julio ea , quæ ipse-
 met petierat edicto suo , ex reipublicæ ditione oppida ,
 intra eos quos præstituerat dies iri ei traditum Senatus
 nomine pollicerentur : rogarent , *ne rempublicam conteri
 a barbaris exercitibus permetteret : quam si unam pessun-
 dabunt , tutum illum reliquosque deinceps Romanos Ponti-
 fices ipsa in urbe non futuros : id quam sæpe alias experta
 Roma sit , nescire porro neminem : decere ipsum , qui in Ita-
 liæ præclara parte natus cælum hauserit , reliquos Italos
 tueri potius , quam exterarum nationum plusque nimio per
 se appetentium vires opesque , quibus vastitatem Italiæ infe-
 rant , augere .* Latum etiam , ut Antonius Justinianus ,
 qui Cremam legatus a Senatu lectus proficiscebatur , ad
 Maximilianum recta contenderet , & cum illo si posset ,
 pacem quantumvis duris conditionibus faceret : Tergeste-
 que oppidum , & Portum Naonis , reliquaque municipia ,
 quæ respublica ex ejus ditione superiore anno ceperat , Se-
 natum ei paratum esse restituere , ac quæ oppida ex Ro-
 manorum imperatorum ditione in Carnis & Gallia , &
 Venetia respublica possideret , ea se omnia illi tanquam
 accepta relaturum nunciaret . nisi enim ab altero eorum
 aliquid auxilii afferatur adversus Gallorum audaciam at-
 que impetum , nullum satis firmum obicem futurum esse
 verebantur .

Demum lecti legati ad exercitum duo priorum legato-
 rum loco , Georgius Emus , Paulus Capellus , legationi-
 bus renunciatis propter alios magistratus quos obibant , ex
 quibus magistratibus ad alia munera invitos evocari non
 licebat , magnam Senatus , magnam totius civitatis invi-
 diam subierunt : neque eorum loco quisquam sublectus post-
 ea fuit , quod jam de priorum legatorum diligentia , quæ
 Senatus vellet , nunciarentur . Rogatio tantum in Decem-
 virum collegio lata , ne cui deinceps ulli ullam ob cau-
 sam adversis reipublicæ rebus cuiquam sibi delato muneri

*Lex lata : n
 cui liceat
 adversis
 reip. rebus
 delatum
 munus re-
 pudiare .*